



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. I. Quomodo interponenda sit appellatio?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

SECTIO V.

De forma, seu modo appellandi, & quoties appellare liceat?

§. I.

Quomodo interponenda sit appellatio?

Appellatio fit vel statim, Iudice adhuc pro tribunali sedente, aut saltem ad extuncione actus non dum divertente, vel ex intervallo. Si statim fiat, sufficit eam facere viva voce, dicendo v. g. appello, & hoc in actis per Notarium scribatur; si fiat ex intervallo, in scriptis per libellum appellatorium fieri debet, in quo exprimitur nomen illius, qui appellat, nomen Iudicis, contra quem, & contra cujus sententiam appellatur, & nomen Iudicis, ad quem appellatur (quamvis absolute necessarium non sit, ut vel nomen Iudicis a quo, vel nomen Iudicis ad quem exprimitur) neque tamen requiritur, ut, si in scripto appelletur, legatur hæc appellatio coram Iudice. c. Appellatio 9. h. t. in 6. cum ad intentionem juris sufficiat, potest etiam eam appellationem Iudici a quo fuisse, ne appellans postmodum variare possit. Potest autem appellari, sive voce, sive scripto fiat appellatio, non tantum per verba expressa: appello, provoco. &c. sed etiam per æquipolentia. c. Ad audientiam 34. h. t. (ubi enim certa verborum forma non requiritur, sufficit suam intentionem expressisse) quin ipso etiam facto, suscipiendo v. g. iter Romam ad causam alicujus

decisionem, appellari potest, ut patet ex c. Diligenti 52. h. t. & ex c. Cum olim 7. De dolo, & contumaci. modò servantur ea, quæ in appellatione verbis expressa servari debent, & si extrajudicialis sit appellatio per susceptum iter, ad eum Superiorem fiat, qui per viam querelæ adiri potest citra omnem appellationem. Neque tamen valet appellatio generalis, facta super omni causa, quæ contra appellantem posset aliquando moveri. c. Inter cetera 2. h. t. (cum talis non appellet à gravamine aliquo, cum nullum, nec alicujus comminatio illud urgeat) neque valet generaliter facta appellatio ab omni gravamine, quod sibi inferri posset, nisi fiat super certa causa ab eo, qui in uno v. g. articulo à Iudice à quo gravatur, cui licet per viam appellationis totam causam hanc ad superiorem Iudicem deferre. c. Consultus 18. h. t.

§. II.

De forma, seu modo appellandi à sententia interlocutoria, vel gravamine extrajudiciali.

Talis appellatio, ut valeat, debet fieri in scriptis, & expressa causâ appellationis (nisi ex arduis una sit, quæ Sedi Apostolicæ specialiter reservatur) ut constat ex c. Cordi. 1. h. t. in 6. & c. Ut indebitus 59. h. t. ad minuendas litium molestias, ut ait Pontifex, & debent Apostoli, sive litteræ dimissoriales à Iudice à quo peti & dari, quibus instruat superior Iudex, quare appellationi sit delatum, vel non. Neque potest in iudicio talis appellationis alias postmodum causas proseguere, quàm nominatim in libello appellationis expressas. Clement. Appellanti. Ddd 3